us se macerabat Hannibalem, ut qui frangi virtute non poterat, morâ comminueretur. Plus tamen celeritatem cum vigilantia conjuncta prodesse, quam cunctatione in bellicis potissimum negotiis, è Cærologiâ, seu de opportunitatis occasione discursibus militaribus ac politicis, Jacobi Le-Bleu liquet. Celerrima quippe Aquila temporis est opportunitas et occasio: quæ ad pedes [illegible] volans, capi à quovis potest. Si verò in altum aërem aufugiat, persequentes ridet, neque, ut ad eos redeat, in animum inducit.

Fronte capillata est, post hæc occasio calva

Die Göttin der Gelegenheit
Ist vorne nur mit Haaren,
Im Nacken ist sie kahl allzeit
Drumb lass sie ja nicht fahren

Ita Opitius noster et nos cum illo. Ne tamen, promiscua celeritate perfici cuncta posse, forte arbitremini, Auditores, elegantissimam Ferdinandi Orationem, quâ apud Jov. Pontanum milites alloquens, prudenter occasione utendum esse, demonstrat, patulis audite auribus. In omni re bellicâ, inquit ille, fortissimi viri, quod usus ipse docuit, plurimum occasio valet, quam optimus quisque Imperator summo studio et curâ complecti debeat. quippe cujus ea natura sit, ut ardua in planum facilè vertat. Cum igitur nos capere ac sequi maximè utile, atque imprimis cautum consilium reor. Sed in omni occasione capiendâ, in coeptisque persequendis duo potissimum servanda: alterum quod facto opus, maturè ut id fiat. Quid enim occasione brevius aut fugacius est? Alterum, ut suum quodque geratur ordine: quando in re præsertim militari nihil ordine ipso potius ac majus est. Nam confusio ac trepidatio, præterquam quod periculosa, gerendis